

LUVENTUS

Prodit Budapestini VIII., Szentkirályi-u. 28. Calendis et Idibus cuiusque mensis, excepto Iulio et Augusto. — Preium annuae subscriptionis in Hungaria: 4 coronae. Prostat Parisiis in aedibus Croville-Morant, 20 rue de la Sorbonne. — Telephonum: József 858.

Miguel de Cervantes Saavedra.

Tertium in¹ exitu¹ iam est saeculum,
cum scriptor ille clarissimus Hispanorum
vitā decessit...

Paupertas ac rerum angustiae² nascentem eum circumsteterunt et usque ad mortem comitabantur. Adulescentulus studiorum causa Salamanticam³ in universitatem migravit, cuius deinde discipulos compluribus operibus ridiculos descripsit.

Iam tum carminibus scribendis vacabat,⁴ sed paupertate coactus universitate relicta operam⁵ legato pontificis, Acquavivae praestit;⁵ at paulo post iam stipendia navalia merebat in classe Hispanica, quae Messanā Nau- pactum⁶ profecta est.

In navi⁷ actuaria⁷ stetit, quae Aegyptiam
navem praetoriam⁸ cepit. Duabus glandi-
bus plumbeis ictus etiam brachio sinistro
orbatus⁹ est. Non sine superbia senex com-
memorabat victoriam Naupactiam (1571.
Non. Oct.): «Oculos in altum mare conieci,
quod mihi in mentem revocavit fortissi-
mum illud¹ facinus
Ioannis ducis, ubi
etiam ego summā
gloriā militavi, for-
titudine virili, corde
palpitante¹⁰ victo-
riae, etsi dignitate
inferior, tamen pars
fui».

Quemadmodum
a praefectis suis ob-
servatus et cultus
sit, vel inde elucet,
quod miles¹¹ gre-
garius¹¹ regi Phi-
lippo II. diligentis-
sime commendaba-



1 vége felé	2 inség
3 Salamanca	4 foglalkozik
5 szolgálatába	áll
6 Lepanto	7 gálya
8 tengernagy	9 megfoszt
10 dobog	11 közkatona



tur. Quae autem commendatio malorum maximorum causa facta est. Nam cum Neapoli in Hispaniam profecturus esset, navis a piratis¹² Africanis capta, ipse autem, quia ob commendationes vir amplus putabatur, in servitatem abductus est. Summis viribus libertati recuperandae operam dedit, sed frustra. Quod dominus eius, Algeriae princeps non ignorans dictabat: Si sedem meam cum navibus et servis tutam esse volo, tantum hunc unum Scaevolam¹³ Hispanum severe custodire deboeo.

Denique cives eum a servitute redemerunt,¹⁴ qua re sumnum gaudium, libertatem, patriam adeptus est. Ex hoc tempore fabulas¹⁵ Romanenses¹⁵ et scenicas scribebat, etiam fabellas¹⁶ minores edidit, de quibus non sine optimae¹⁷ mentis¹⁷ conscientia¹⁷ haec scripsit: «Primus sum, qui fabellas Hispanicas scripsi, multa enim huius generis opuscula, quae lingua Hispanica circumferuntur, e nationibus exteris assumebantur, sed haec tota mea sunt, quae nec imitatus nec furatus

sum; animus meus ea procreavit, calamus¹⁸ meus in lucem protulit».

Longum est singula Miguelis opera enumerare. Omitto carmina fabulasque alias. Fabulam illam, quae Don Quixote inscribitur, nos omnes summis cum deliciis legebamus. Quis nostrum ignorat facta clara equitis illius gloriosi,¹⁹ quorum adiutor erat Sancho ille minus ridiculus, quam dominus.

Quid multa? Satis erit enarrare illud salse dictum, quod multis notum esse videtur: Rex Philippus quandam discipulum vidit, qui librum legens ambulabat, frequenter constitit, mox saltuatim²⁰ currit,²⁰ deinde manus²¹ circumtulit,²¹ tum in cachinnos²² effusus est. Postquam rex adulescentem aliquantum temporis observavit, Mehercle — inquit — discipulus aut mente captus⁹ est, aut legit librum de Don Quixote.

¹² kalóz ¹³ félkezü ¹⁴ kivált ¹⁵ regény ¹⁶ novella
¹⁷ öntudatosság ¹⁸ toll ¹⁹ hencegő ²⁰ ugrándo
²¹ kezével hadonáz ²² kacagás.



Funus¹ matris.

Grandis arca,² nigra domum portabatur. In arca litterae albae legebantur. Stephanus ad fenestram stans haec observavit. Tum veste pulchra indutus est, frater quoque Franciscus. Viri et mulieres ibant redibantque. Pueri domum vicinam ducebantur. Mulier autem vicina eis prandium ministrabat.³ «Edite — inquit — orbi⁴ miselli!» Pueri nesciebant, quid haec vox sibi⁵ vellet.⁵

Post prandium domum reducebantur. In area multi homines erant cum sacerdote, qui triste carmen cantavit. Deinde quattuor homines arcam efferebant, omnes autem cum iis in viam se dabant. Tum in hortum

venerunt, in quo cruces⁶ conspiciebantur. Quattuor illi viri et ceteri, qui eos comitabantur,⁷ constiterunt; tum arca deposita, mox in foveam⁸ immissa est. Pater puerorum vehementer flebat. Denique silentes domum ibant.

Domi pater filiolos dormitum ire iussit. Qui vestimentis exutis cubitum⁹ ierunt. Francisco caput sustulit¹⁰ et voce suppressa¹¹ fratrem allocutus est: Stephane! — Audio te. — Ubi est matercula? — In terra. — Hoc non potest ita se¹² habere.¹² — Idem dico. — Nonne aegrota in cubiculo¹³ vicino cubat? — Eamus illuc, videamus eam. — In cubiculum vicinum ibant, ubi duae candelae¹⁴ ardebant, pater autem ante lectum matris stetit et tacite lacrimavit.

— Ubi est matercula? interrogaverunt virum. — Mortua est. Et his verbis vehementius

¹ temetés ² lárda ³ tálal ⁴ árva ⁵ jelent ⁶ kereszt
⁷ kisér ⁸ gödör ⁹ feküdni ¹⁰ fölemel ¹¹ halk
¹² van ¹³ szoba ¹⁴ gyertya



Emericus Alexandro fratri suo
salutem.

Frater carissime, litterae tuae gaudium et dolorem pariter nobis attulerunt. Quod enim scire cupiebamus, ex iis cognovimus. Ut scripsisti, nimbi¹ tempestatesque² saeviebant etiam in nostra patria et damna in praedio nostro facta sunt.

Diligentia tua sororisque nostrae gaudium parat et matri et patri. Sis igitur particeps³ laborum necessariorum, ita te pater vehe- menter carum habebit. Quod vero soror in horto olitorio⁴ peragit, matrem nostram gaudio maximo afficit.

Quod autem scripsisti de damno in po- mario⁵ facto, reddidit me tristissimum. Nam si flores arborum frugiferarum frigore delentur, fructus dulces crescere non possunt.

etiam¹⁵ lacrimare coepit. Nunc iam neminem habeo, solus sum.

— Noli flere, pater optime. Nos tibi pro matre erimus et te semper amabimus.

Pater autem flendi finem fecit et liberos suos amplexus conticuit.¹⁶

Ad narrationem G. Gárdonyi
L. Pausz. (Budapestinum III.)

Institor¹ et mus.

Ad narrationem *Fratrum Grimmorum*.

Ante multos annos pauper institor per Hercyniam² silvam² in oppidum quoddam migravit. Cum languisset,³ consedit, ut frustum panis ederet, quod solum ad de- pellendam famem ei erat. Dum edit, mu- sculum circum pedes repente vidit, qui tandem ante eum consedit et oculos sustulit, tamquam aliquid exspectaret. Bonus ei nonnullas miculas⁴ panis, quamquam ipsi iis opus erat, proiecit, quas mus statim

Hic quidem in orae maritimae luce aurantia⁶ poma⁶ inter folia ridentia videntur, sed id parvum est solatium, cum nos fructu carere domi debeamus.

Ego cum amicis meis tempus laetissime consumo. In dies⁷ enim convenimus et nonnunquam rebus⁸ musicis⁸ delectamur, clavichordio⁹ canimus,⁹ nonnunquam etiam saltamus. Sunt enim amicorum quidam laeti, simulatque clavichordii sonos audiunt, saltare vel canere incipiunt. Nunc fabulam¹⁰ in¹⁰ scenam¹⁰ edere paramus.

Amici mei hilares sunt, et me quoque sermonibus suis in¹¹ iocos¹¹ evocant.¹¹ Itaque totum me sanum iam esse sentio confidoque. Frater carissime, cura ut valeas, patrem et sororem meo ac matris nomine valere iubeo.

M. F.

Vespertilio¹

semel multo mane prorepsit² e turre ob- scura, ubi in tigno³ pendens dormiverat.

¹ eső ² vihar ³ részes ⁴ zöldséges ⁵ gyümölcsös
⁶ narancs ⁷ napról-napra ⁸ zene ⁹ zongorázik ¹⁰ szin-
darabot előad ¹¹ tréfára indít.

¹ denevér ² kimászik ³ gerenda

comedit: Deinde ei, dum aliquid habet, semper parvam partem dedit, ita ut recte utrique conviverent.⁵

Tum institor se erexit, ut aquam ex propinquuo fonte biberet. Cum redisset, ecce in terra aureus⁶ iacebat, commodum⁷ mus alterum portans venit, ad illum posuit et aufugit,⁸ ut tertium peteret. Institor secutus eum in cavum currentem et aureum proferentem vidi. Homo baculum cepit et humo effossā magnum thesaurum antiquorum aureorum repperit. Eum sustulit, tum murem circumspectavit, sed bestiola e conspectu ablata est.⁹

Tum plenus gaudii pecuniam in oppidum tulit et partem pauperibus divisit, altera parte templum aedificavit.

Hugo Simchen (Gretium).

¹⁵ még ¹⁶ elhallgat.

¹ kereskedő ² Čseherdő ³ elfárad ⁴ morzsa
⁵ együtt étkezik ⁶ arany ⁷ épen ⁸ elszalad
⁹ eltünik.

Homines quoque dormiebant, muscae somniabant de melle⁴ dulci et micā⁵ pingui.⁵ Ergo omnes dormiebant, gallus solus stetit in culmine gallinarii⁶ et cantans solem nascentem salutavit.

Vespertilio animo⁷ confirmato ad gallum volavit eumque verecunde⁸ allocutus est:

— Pace⁹ tua, domine, noli irasci, quod te interpollo, sed dic mihi, cur tam multo mane cantes, cum omnes homines et omnia animalia dormiant.

— Solem fulgentem saluto, respondit gallus superbus, et cantu meo voco lucem, ut tenebrae¹⁰ fugiant.

— Res bona, domine et pulchra. Sed rogo, nolis me quoque hunc cantum docere?

— Non possum, amice. Tu caecus es. Qui autem luce non fruatur, lucem laudare nequit.

G. Hermann:

Proverbia.

Scripsit C. Kisfaludy. Latine convertit D. Mosonyi.

Iuvenis effrenatus¹ est domus nuda.²

*

Si vis sublimis³ ire, prius disce repere.⁴

*

Melius est hastā vulnerari, quam linguā malā.

*

Nihil⁵ refert,⁵ quis loquatur, sed quid.

*

Ne aurum iacta⁶ atque originem, sed doctrinam.

*

Inscium doctus novit,⁷ quia et ipse talis erat; sed inscius ignorat doctum, quia nondum doctus erat.

*

Liber bonus est optima societas.

*

In planicie⁸ etiam colliculus se montem putat.

*


Cum gallinis i dormitum, surge⁹ cum gallo.

⁴ méz ⁵ kövér morzsa ⁶ baromfiketrec ⁷ bátorság
⁸ tisztelettel ⁹ engedélem ¹⁰ sötétség.

¹ féktelen ² fedetlen ³ magasan ⁴ mászik ⁵ semmit sem határoz ⁶ hánytorgat ⁷ ismer ⁸ siklás ⁹ fölkel.



Prope urbem Nippur, in Babylonia res multae, delectationis¹ atque¹ utilitatis¹ plena¹ effodiendo in lucem proferebantur. Tabulae² sunt mercatoris cuiusdam, qui ante duo milia quadringentos annos hoc loco mercaturam³ exercebat.³ Quae tabulae non erant in modum eorum librorum confectae, quibus mercatores huius aetatis utuntur; anno 487. a. Chr. tabulae fictiles⁴ in usu erant, non chartaceae,⁵ quales nunc sunt. Ex his tabulis fictilibus appetet mercatorem illum negotiationes⁶ diversissimas exercuisse:³ emebat et vendebat gemmarum⁶



b. Draymann.

ornamenta,⁶ immobilia, administrabat fortunas privatorum, cetera. Insigne est pactum,⁷ ex quo mercator iacturam⁸ emptoris se reflecturum⁸ pollicetur, si smaragdus ex anulo⁹ empto viginti annis excideret.

Cuius pacti exemplum hoc est: Bel-addiddina et Belsuna, filii Belii et Hatiniae cognoscunt¹⁰ Bel-nadinum Murasi filium promisso smaragdum ex anulo empto viginti annis non elapsurum esse. Quod si tamen fiat, mercator ut decem nummos argenteos soluturus sit se obligat.

¹ érdekes ² üzleti könyvek ³ kereskedést úz
⁴ agyag- ⁵ papiros- ⁶ ékszer ⁷ szerződés ⁸ kárpolitálist fizet ⁹ gyűrű ¹⁰ tudomásul vesz.

Facinus Caroli XII.

Ad narrationem Stephani Szomaházy.

Kartoschke, archiducis magister scholis finitis vitroque¹ oculari¹ deposito discipulum augustum alloquitur :

— E quibus exemplis, Serenissime, percipis fortitudinem unicam esse virtutem principum, quae eos ornet. Carolus rex — ut supra dixi, — se² periculo² mortis² exponente² armigerum sibi fidissimum e manibus hostium eripuit. Populus vero post mortem regis ad ossa eius in basilicā sepultā frequens adibat. Esto igitur tu quoque fortis, Serenissime, ut posteritas Carolum XII. in numerum maximorum regum referat ! . . .

— Quid, si rex timidus, — interrogabat Carolus XII.

— Fieri non potest, ut rex timeat — respondit severus Kartoschke.

Magister corpore³ reverenter inclinato³ cum libris et plagulis⁴ iunctis⁴ discessit ex conclave archiducis.

— At quid, si rex timet — sic agitabat secum, sed cogitationes eius sollicitas mox abiecit ientaculum⁵ a servis appositum. Archidux vehementer gaudebat, cum cibum vidiit, quia esuriebat. Quod non est mirandum, nam lingua Gallica, Anglica, historia naturalis, physica, memoria⁶ rerum⁶ gestarum⁶ magnam affert curam puero decem annorum, etiamsi archidux est. Atqui Kartoschke magister non habebat unquam discipulum archiduce diligentiores. Saepe accedit, ut nocte, dum milites passibus⁷ aequis⁷ in portico perambulabant, archidux in cubili sic ingemeret : «Somno⁸ me⁸ dare⁸ non licet, quia physica adhuc nescio». Et post preces vespertinas rursus recitabat praecepta Carthesii . . .

Ientaculo sumpto archidux in hortum regium ambulatum ibat, ubi pila ludebat, cursitabat, papiliones agitabat, dum ad cenam vocatus est. Rarissime conveniebat senem maestissimum, qui capillos eius manu mulcebat :

Pater fuit, Carolus XI.

Hodie autem archidux non ludebat, sed exempla a magistro allata meditabatur.

— Si rex tamen timidus est, quid tunc ?

dictitabat tristissime. Nam archidux sine ullo dubio ignavus⁹ et timidus erat. Omnibus artibus contremuit, si quis ianuam inopinata aperuit, cor eius vehementius¹⁰ palpitarbat,¹⁰ cum felem villo¹¹ candido conspicerat, et sanguis gelidus coibat¹² in¹² praecordia,¹² cum cruentae pugnae ei in mentem venerant. Quid ad ea Clio, si scisset? Et archidux saepe tota nocte in lecto se¹³ sollicitum¹³ volutabat,¹³ quod conscientius suae timiditatis, somnum⁸ capere⁸ non poterat. Quid faciat, ne ignavus videatur? Et quia interrogationi respondere non potuit, genas¹⁴ lacrimis¹⁴ udas¹⁴ in¹⁴ pulvinos¹⁴ abdidit.¹⁴

*

Aliquando archidux inter ambulandum ad piscinam pervenit, cuius in ponte formosa puella sex fere annorum ludebat. Quae filia fuit Ruperti, hortulani regii, quam nonnunquam ipse Carolus XII. alloquebatur. Sed hodie illam non curabat, cum puella subito acuta voce clamare coepit. Carolus XII. exterritus animadvertisit puellam de ponte delapsam et in pila¹⁵ eius vestimento haerentem. Non habuit tantum temporis, ut ad pontem curreret, nam puella sciso vestimento in gelidas undas incidit. Quae momento¹⁶ temporis¹⁶ facta sunt ita, ut archidux consternatus constiterit.

Nemo erat prope, qui puellam ex undis eriperet. Archidux dubitabat, quid faceret, quomodo puellam servaret?

— Fortitudo est — repetebat — virtus principum, quae sola eos ornat. Quid posteri de me sentirent, si nunc ignavus forem.

Posteri non adibunt basilicam, neque preces ad ossa mea fundent, ut ad sepulcrum Caroli. Non, non sum ignavus... non... non licet ! . . .

Tunc archidux, quamquam dentes¹⁷ eius¹⁷ metu¹⁷ colliduntur,¹⁷ oculis repente clausis sic locutus est :

«Oh mi Deus! adiuva me et consolare

¹ szemüveg ² a halál veszedelmének téve ki magát

³ meghajolva ⁴ füzet ⁵ reggeli ⁶ történelem

⁷ nagy léptekkel ⁸ elalszik ⁹ gyáva ¹⁰ hevesebben
dobogott ¹¹ ször, ¹² meghül ¹³ nyugtalanul hánky-
kolódik ¹⁴ párnáiba temette könnyes arcát ¹⁵ oszlop
¹⁶ egy pillanat alatt ¹⁷ fogai összeverődtek a félelemről

matrem, si moriar». Dein manibus compositis in piscinam desiluit, filiam hortulanum ex undis erexitur...

*

Archidux tunc solum se colligit, cum in lecto iacebat. Circum vultus maestos perterritosque conspexit. Vir tristissimus, pater sollicitus inclinatur ad eum, mulier pallida, mater eius, dextram prensat. Ex altera parte cubilis vox medici auditur:

— Hortulanus quoque decumbat! Timendum est, ne capite¹⁸ luat,¹⁸ quod liberos ex periculo mortis eripuit.

Quae omnia archidux somniare videtur, ac velut in somno videtur matrem ipsum osculantem et susurrantem:


— Cur haec fecisti, mi fili?!

Archidux parva¹⁹ voce¹⁹ balbutit¹⁹:

Fortitudo est... carissima mater... virtus principum, ... quae... quae reges... ornat!...

In Latinum convertit
Aemilius Lustig, Keszhelyiensis.

¹⁸ életébe kerül ¹⁹ halkan susogja.



Naturali quadam irritationē¹ populi tenentur, qui Iaponiam invisunt. Populus enim, qui novissime cultum humanitatemque nostram in usus suos convertit, instituta a maioribus accepta incorrupta servat. Venustate² enim hominum, praesertim feminarum tota terra quasi nitore³ splendido quodam inducitur. Vix quidquam iucundius invenias, quam vere, sub cerasis⁴ florentibus pueros et puellas variis vestibus indutos, qui laeti et hilares cum corbiculis⁵ centeni ludis student. Eandem prae se ferunt venustatem circulorum⁶ Iaponiorum ludi,⁶ qui in cubiculis humilibus, supellectili⁷ parentibus luduntur. Quae oblectationes puerili sanctitate⁸ az verecundia⁸ sunt singulari.

Qualis generis sint illi ludi, picturā nobis ostenditur. Laqueum⁹ vides, qui a duabus lu-

dentium tenetur. Tertiae¹⁰ est¹⁰ manu repente immissā res quasdam comprehendere simul



cavere, ne manus capiatur. Talibus ludis sollertia,¹¹ luminū¹² certa¹² acies,¹² animi attentio mirum in modum exercetur.

1 varázs 2 báj 3 fény 4 cseresznyefa 5 kosárka
6 társasjáték 7 bútor 8 ártatlanság, illendőség
9 hurok 10 a harmadiknak a dolga 11 ügyesség 12 a szem biztonsága.

De Iove et viatore.

Chr. F. Gellerti fabellam «Der Reisende» iambicis senariis Latine reddidit Guil. Lehmann (Vratislaviensis).

Quondam viator orbis¹ arbitrum,¹ Iovem,
Caelō procellis² imbrisque turbidō
Sudum³ rogabat atque solem lucidum.
Frustra!⁴ nec audit hunc deus nec flectitur :
Imbri cadente saeviunt venti male ;
Nam sic placebat hoc die divūm patri.

Hospes, querelis⁴ tristibus clamans Iovem
Homines misellos cogitate⁵ plectre,⁶
Laboriosam protenus⁷ carpit viam.
Quoties procella dira denuo furit
Virumque cogit in loco consistere,
Toties acerbum personat convicium.⁸

Sperans propinquō nemore se tutum fore
Ab imbrī vi turbinumque fraudibus
Viator urget⁹ arbores attingere ;
Tamen, priusquam fronde vir reconditur,
Trucem¹⁰ latronem spectat obvium sibi,
Resistit et sub imbris captus metu.

1 a föld ura 2 vihar 3 derült 4 panasz 5 szándék
kosan 6 kínoz 7 előre 8 átok 9 siet 10 mord

*Arcum prehendit latro moliens¹¹ mala
Multo liquore¹² iam remissum,¹³ languidum
Nervumque¹⁴ tendit ac viatorem petit.
Sed his repugnat imber et ventus dolis:
Sagitta fessa sub pedes eius cadit,
Cui transitura pectus arcum fugerat.*

*«O stulte!» dixit motus irā Iuppiter:
«Nunc te docebit haec sagitta comminans,¹⁵
Nimiumne saevo turbini permiserim?
Nam si dedissem solis ardorem tibi,
Sagitta vitam, quae remansit integra
Ventis et imbri, mox ademisset¹⁶ tibi.»*

¹¹ tervez ¹² nedvesség, «eső» ¹³ meglazul ¹⁴ húr
¹⁵ fenyeget ¹⁶ elvesz.



Tria chiliometra a finibus Germaniae, prope Gallicam urbem Nanteium¹ aërobaticum Germanicum demittebatur. Multitudo hominum, qui statim concurrerunt, duos praefectos militum descendentes videbant, qui a magistratibus urbis quamquam summā cum urbanitate excepti, tamen aegre ferre videbantur, quod fines suos egressi essent. Milites se Darmstadio profectos Divodurum² petituros fuisse affirmabant, sed altissime volantes vento adverso prohibitos ac deficiente benzino coactos devolasse, quod se citra suos fines volitare arbitrati essent.

Omnia ex³ fide³ narrata esse comprobata sunt. In aëroplano nec machina photographica, nec ullum instrumentum suspiciosum⁴ inveniebatur; receptaculum autem septuaginta quinque litorum benzini vacuum⁵ erat. Manifestum igitur fuit vectores aëroplani itinere deerrasse.

Dum veniam⁶ revertendi opperuntur,⁷ praefecti Germanici cum Gallicis iucundissime colloquebantur. Horā denique quintā Parisiis a summis magistratibus licentia⁶

revolandi allata est. Centurio Germanicus, postquam Gallis pro urbanitate gratias egit, aëroplano subvolavit.

Quia huius modi descensus Germanorum intra fines Gallicos iterum — quamquam casu, non voluntate — facti sunt, Galliae legatus Berolinensis de hac re apud curatores Germaniae verba fecit. Nunc utrique in eo sunt, ut volatus aërii quodam modo inter duos populos ordinentur.

Petrus Daucourt Gallus nuperrime mane Parisiis subvolans sub meridianum tempus Berolinum nactus⁸ est, ubi triumphanti similis recipiebatur. Germanici collegae machinamentis suis relictis Daucourtum salutaturi accurrerunt, in cuius honorem etiam epulum sollempne apparatum est. Ibi oblii dissensionum, quae sunt inter tantos Europae populos, amicitias mutuas colebant.

Victoria Daucourtii eo insignior est, quod in parte itineris cum vento adverso luctari cogebatur; praeterea certandum erat cum Audemarso, qui vestigiis⁹ eius usque ad Bonnam insistebat.⁹



In pictura videmus Daucourtum a collegis Berolinensibus laetissime exceptum.

¹ Nancy ² Metz ³ igazság szerint ⁴ gyanus
üres ⁶ engedély ⁷ várni ⁸ elér ⁹ nyomon követi.

Gallus. XI.

Seripsit G. A. Becker, in Latinum convertit —il.

Denique in fronte praetorii ad cornua¹ porticūs duo aedificia turribus similia eriguntur, in quorum contignationibus complures cellae et triclinia sunt, unde latissimus prospectus patet in diversas coeli partes.

Hortus, qui villae adiacet, in duas impares partes dividitur, quarum altera, nimia arte et diligentia, vix cedit hortis miris et artificiosis, praecipue apud Francogallos et Italos nostrae memoriae, usu³ receptis.³ Hic nulla arbor, nullum virgultum⁴ proprio et naturali modo ramos extendit frondesque explicat, quia manu topiarii⁵ statim in praescriptas formas rediguntur. Omnia viridia varie sunt tonsa et arbusculae⁴ manu tentae, quibus rarae interiacent areae⁶ floribus insitae. Cerneret hic buxum in mille formas descriptam, metulas⁷ ex cupresso, varias ferarum species fruticibus diversorum generum artificiose formatas et interdum litteras ingentes, quae modo nomen domini, modo artificis ostendunt. Passim inter viridia carent marmorea simulacra.⁸

Consuetudo³ saeculi³ erat huiusmodi hortos instruere, sed Gallo haec virentia in certas formas redacta displicebat, ideo libentissime in altera parte horti commorabatur.⁹ Ibi silvulas platanorum umbrosas variabant pratula¹⁰ myrto vel lauro cincta. Pluribus locis disposita sunt sedilia marmorea, quae ambulatione fessos iuvant. Per totum hortum inductis fistulis rivuli strepunt, quibus nunc illa viridia, nunc haec, interdum simul omnia rigentur. Est, ubi aqua effluens ex¹¹ edito¹¹ spumosis undis per saxa desilit et excipitur piscinā, cuius pisces cicures,¹² vocatu Galli, ad ripam congregati e manu illius pascuntur.¹³ Hic, si fruticetum⁴ praeteris, hortus subito mutat speciem. Invenies modicum spatium oleribus arboribusque pomiferis consitum,¹⁴ quod imitationem velut illiti ruris praebet.

Inde ad hippodromum fert gestatio platanorum, quarum truncos et ramos hedera¹⁵ pererrat vicinasque platanos transitu suo copulat.¹⁶ Haud procul ab hippodromo erat

locus amoenissimus. Pratum violis odoratum hemicyclio¹⁷ circuitur ulmis altis et umbrosis, quas topiarius propagine¹⁸ vitium¹⁸ maritabat.¹⁶ Adversa parte leniter consurgit clivus insitus rosis diversi coloris, quarum suavissimi odores miscentur cum halitu¹⁹ liliorum sub clivo florentium. Ex clivo prorumpit fons, qui praecipiti saltu delapsus leni murmure praeterfluit viride amphitheatrum, unde cacumina²⁰ proximorum montium cernuntur.

Qui secessus²¹ Gallo in summis erat delectiis; hic, sub divo, in intimo sinu pacis, circumdatu simulacris deorum, quae intervalla ulmorum ornabant, pulcherrimas condebat elegias; hic cum Vergilio et Propertio saepe se in remoto gramine reclinatum²² vino beabat.

Hodie tamen reliquum diei quieti et recreationi datum. Gallus post lavationem cenatus mature somnum petivit.

*

Pomponius tanta festinatione a Gallo se abripuit, ac si ex passibus suis salus aut interitus penderet. In cogitationibus defixus neque salutationes obviam venientium attendit neque morosis²³ declamationibus Calpurnii aurem praebuit vixque animadvertisit eum in Foro Transitorio valedicentem viamque ad Forum Romanum flectentem. Subito moderatur²⁴ festinationi, mox totus in cogitationibus consistit, digitis pulsat²⁵ pectus, crederes eum cogitationes foras evocare velle. Paulatim se colligit, sinistram in coxa²⁶ ponit, dextrā ferit femur.²⁷ Turba cogitationum haud facile componi²⁸ videbatur. Iratus digitis concrepat,²⁹ capite nutat. Frustra: non placet, quod repperit. En, motus corporis placidiores³⁰ fiunt. Columnam³¹ mento³¹ suo suffigit³¹ et sedato³⁰ pectore triumphans subridet. Subito conversus vocat servum, qui haud procul stupebat³² in illo.

¹ szárny ² emelet ³ divatos ⁴ fácska ⁵ műkertész

⁶ ágy ⁷ kúp ⁸ szobor ⁹ tartózkodik ¹⁰ rétecske

¹¹ magasról ¹² szelid ¹³ eszik ¹⁴ beültet ¹⁵ repkény

¹⁶ összeköt ¹⁷ félkör ¹⁸ szőlöinda ¹⁹ illat ²⁰ csűcs

²¹ tartózkodóhely ²² hátradölve ²³ rosszkedvű

²⁴ mérsékel ²⁵ vereget, kopogtat ²⁶ csipő ²⁷ comb

²⁸ rendbeszed ²⁹ csettint ³⁰ nyugodt ³¹ állát karjára nyugtatja ³² bámul

— Citato cursu confer te domum, dixit, fac veniat Dromo sine ulla mora in tonstrinam³³ Licini, ubi me exspectet. Festina!

Servus in pedes se dabat, Pomponius autem pleno³⁴ gradu³⁴ viam solus ingressus est. Carinas³⁵ nactus³⁶ ostium amplioris domus pulsabat.³⁵

— Estne domi dominus, interrogabat ostiarium. Tibi omnino, — respondit ostarius — aliis in foro est.

Pomponius atrium transgrediebatur. Quem adesse cubicularius³⁷ domino nuntiatum³⁸ in tablinum intromisit, ubi vir robustus firma aetate et rustica facie in lecto reclinatus rationes³⁹ recognoscebat.³⁹ Cui praesto erat libertus cum tabula cerata. In mensa erant duo acervi sestertiorum, inter quos iacebat marsupium⁴⁰ pecuniae nescio quantum continens; praeterea erant humi aliquot tabulae⁴¹ acceptorum⁴¹ et expensorum,⁴¹ stilus, atramentumque cum calamo positā.

— Salvē te iubeo, Large! dixit intrans Pomponius.

— Et tu! respondit ille. Quid est, quod te hodie iam iterum ad me adduxerit?

Pomponius oculos suspiciosos in libertum coniecit, qui nutu⁴² Largi discessit.

— Recens cognita refero. Gallus hodie mane Romā abibit, ut molestiarum⁴³ hesternarum ruri obliviouscatur.

— In villam? mirabatur se ergens Largus. Quam mox tuam fore spero, respondit ille. Certe provisurus est, ut praedium illud instructissimum⁴⁴ accipias.

— Qui nuntius tibi faustus videtur? rogarbat Largus. An iam oblitus es nos vi Falerni⁴⁵ ab illo iactatore⁴⁶ verba elicere⁴⁷ voluisse, quibus se criminis proditionis obiceret? An testes magnā pecuniā corruptos, quorum⁴⁸ futurum sit eum irretire,⁴⁹ in Campaniam mittere vis? An putas plus habitura esse ponderis⁵⁰ apud Augustum verba, quae Gallus, in solitudine villae inter quietos colonos⁵¹ faciet, quam quae Romae seditiose iactabat?

— Quae quidem omnia recte dixisti, respondit Pomponius. Tamen negari posse arbitraris nos iam satis magnos progressus fecisse? Quid ad transcriptos⁵² templorum et pyramidum Aegyptiarum titulos⁵² super-

bos et ad querimonias Petronii de oppressa provincia et ad ea, quae heri ipse impia erga Caesarem dixit?⁵³ — An pluribus filiis⁵³ tibi opus est, ut illacerabilia retia tendantur?⁵⁴ — An ipsum exspectare vis, ut falsa



crimina⁵⁵ diluat? Ut reconcilietur pristina Augusti amicitia et accusatores praeter ludibrium forte etiam in discriminem capitum adducantur? Non, bone vir, profecto non! Multo melius, si abibit et necopinans⁵⁶ casu affligeretur. Et tunc tibi praedium, mihi domus et — finem loquendi fecit.

*

Largus meditans frontem manu contractebat.⁵⁷

— Quae quidem vera esse possunt. At testes tui fide digni sunt?

— Haud secus atque ego ipse. Ceterum curabo, ut in villa non tantum aditus atque exitus observentur, sed etiam sermones et consilia eius patefiant. Atqui⁵⁸ pol⁵⁸ — perrexit oculos ad mensam proximam converrens — indigebo pecuniae, qua servos et testes corrumpam.

— Iterum? exclamabat iratus Largus. At

³³ borbélyműhely ³⁴ jól kilépve ³⁵ Róma egyik legelőkelőbb tája ³⁶ elér ³⁷ komorník ³⁸ bejelent számadásokat átvizsgál ³⁹ zacskó ⁴¹ pénztári könyv ⁴² intéz ⁴³ kellemetlenség ⁴⁴ jól fölszerelve ⁴⁵ borfajta ⁴⁶ hencegő ⁴⁷ kicsal ⁴⁸ kiknek kötelessége ⁴⁹ behálóz ⁵⁰ súly ⁵¹ paraszt ⁵² lemásolt feliratok ⁵³ fonal ⁵⁴ «sző» ⁵⁵ vád ⁵⁶ semmit sem sejtve ⁵⁷ megfog ⁵⁸ de természetesen

enim nuperrime expendi tibi quadraginta sestertia!⁵⁹

— Hoc verum est, sed considera, quam sumptuosus sit usus⁶⁰ cum Gallo; quanti mihi constant piscarii,⁶¹ pistores,⁶¹ fartores,⁶¹ lanii,⁶¹ olitores,⁶¹ cupedinarii,⁶¹ aucupes;⁶¹ quantum sumptum mihi afferant balnea, unguenta⁶² coronaeque. Quadraginta sestertia non pluris valent, quam si formicis micam⁶³ papaveris⁶³ obiicias. Maximam partem testes et Gripus, servus Galli familiaris acceperunt, cui hodie iterum quadringtonos denarios⁶⁴ me daturum esse pollicitus sum. Quid multa! Si munera⁶⁵ in hamo⁶⁶ mittere recusas, desistamus ab inceptis.

— Multus mihi instas,⁶⁷ dixit Largus. Hamus tuus admodum carus est, neque tamen certum habeo, num piscis voret illum. Attamen sit ex sententia tua. Quantum vis?

— Tantum viginti sestertia. Non plus, quantum tu haud semel una nocte aleā⁶⁸ perdidisti.

— Accipe igitur, vel aureos mavis? Quibus dictis manum porrexit ad marsupium, quod ducentis aureis demptis⁶⁹ Pomponio his verbis tradidit: vide ut satis sit, plus non accipies.

Pomponius avarus accepit marsupium, quod in sinu condidit. Constitutā ad congressum horā abiit ad tonstrinam, in qua servum adesse iussit.

Ibi iam exspectabat eum homullus⁷⁰ quidam ridiculus. Caput magnum et deforme paene sine collo⁷¹ insidet latis umeris.

Rufum hirsutumque⁷² capillum atque rubicundum os mire variat subniger color faciei, ex qua oculi astuti⁷³ entent. Est insuper ventriosus,⁷⁴ crassis suris⁷⁵ et nimium magnis pedibus. Quamquam totus adeps,⁷⁶ tamen mobilitate et alacritate viget. Oculis acutis observat omnia circa se acta nec ullus sermo aut quidquam novi, de quo inter homines otiosos agebatur, arrestas aures praeteriit.

Homullus intranti domino indiligerenter salutanti obviam iit.

— Gaudeo te iam adesse, inquit Pomponius, interea oculos in tonstrina huc-illuc circumferebat quaerens, ubi inobservatus cum servo loqui posset. Tonstrina enim

frequentissima erat. Tonsor unā cum adiutoribus artem suam doctis manibus exercet: unius capillos forfice⁷⁷ tondebant, alterius barbam novacula⁷⁸ radebant; hic pilos brachiorum volsellis⁷⁹ vellebant, ibi ungues curabant. Erant insuper plures otiosi, qui de rebus diurnis inter se dispertarent.

— Hic nec angulus, ubi acutas aures fugere possimus, veni in plateam; in proxima basilica nemo auscultabit, quid sermonis habeamus.

Servus dominum praecedentem subsequebatur.

— Dromo, incepit dominus, magnum negotium tibi mandare volo, confido enim tuae virtuti atque astutiae. Hoc mane in villam suam Campanam proficiscetur Gallus, quem amicus eius, Lucius Baias sequetur. Lucium ab illo, litteris invitatum iri arbitror. Vide, ut has litteras accipiam. Adhibe exceptā vi omnes artes: dolum, astutiam, fraudem, corruptelam.⁸⁰

— Recte, respondit servus, sed ad corrumendum pecunia opus est eo magis, quia tabellarii⁸¹ Galli sunt omnium quos terra sustinet probissimi asini. Gripo quidem, perrexit meditans, prodesse potest, sed ille nihil gratis⁸² facit.

Quod tibi nullam molestiam⁸³ afferat. Veni in basilicam, ubi numerabo tibi aureos, quibus ille multis mensibus in popinis portare possit.

— Ain⁸⁴ tu? sic res iam decisa esse mihi videtur. Sed quid tunc, si Gallus memoria⁸⁵ servi usus fuerit? Ceterum habeas mihi fidem! Priusquam aes⁸⁶ thermarum sonuerit, aut epistolam habebis aut saltem curabo, ne ullus te inscio nuntius ad Lucium perferatur.

⁵⁹ sestertium = 1000 sestertius, kb. 200 korona ⁶⁰ érintkezés ⁶¹ halász, sütő, hentes, mészáros, cukrász, madárkereskedő ⁶² kenőcs ⁶³ egy szem bors ⁶⁴ tíz as = kb. 2 korona ⁶⁵ «csalétek» ⁶⁶ horog ⁶⁷ «rájár» ⁶⁸ kocka ⁶⁹ elvesz ⁷⁰ emberke ⁷¹ nyak ⁷² borzas ⁷³ ravasz ⁷⁴ nagyhasú ⁷⁵ lábikra ⁷⁶ háj ⁷⁷ olló ⁷⁸ borotva ⁷⁹ fogó ⁸⁰ vesztegetés ⁸¹ levélhordó ⁸² ingyen ⁸³ baj ⁸⁴ mondod? = valóban? ⁸⁵ szóbeli üzenet ⁸⁶ harang.



Iulius König unus omnium in Hungaria doctissimus, magister in machinatorum¹ academia¹ Budapestinensi annum agens sexagesimum quartum mortuus est. Ita de rebus mathematicis meritus erat, ut non solum a nostris, verum etiam ab exterarum gentium viris doctis maxime aestimaretur. Scriptis eruditissimis monumentum aere perennius² sibi posuit.

Florentini veteribus artis operibus contenti horum temporum artificia³ adhuc parum curabant. Novissime pinacothecam⁴ recentiorum picturarum instituere decreverunt, in quibus praecipue artis Tuscae⁵ monumenta collocarentur. Ad pinacothecam instituendam multum contulit Diego e comitibus Martelli, qui thesaurum⁴ pretiosum tabularum⁴ pictarum⁴ museo legavit.

E museo Parisino anno superiore picturam pretiosissimam furto⁶ ablatam⁶ esse et nos tradidimus. Cuius rei poenas⁷ dedit⁷ museo praepositus Homolle, vir doctissimus, qui missus factus est. Successit ei Pujalet disciplinae⁸ publicae⁸ praefectus;⁸ qui autem brevi tempore interiecto se ad munus pristinum recepit. Nunc Henricus Marcel, Bibliothecae Nationis praefectus idemque quondam legatus populi Gallici rector musei futurus nuntiatur.

Rex Hispanorum filio secundo educatricem et magistram Helenam, Kelleri filiam mercede⁹ conduxit! Scriptrix illa Americana, quae surda¹⁰ mutaque¹⁰ est, praeterea caeca, subtilissimis¹¹ sensibus omnia percipit, quae¹² extra¹² sunt.¹² Scriptis suis, quae velut ex ipsis sapientiae penetralibus¹³ petita, summo cum artificio confecta sunt, toto orbe terrarum maximam sibi gloriam paravit. Mariti regii non sine causa ei educandum instituendumque filium misellum tradiderunt, qui et ipse surdus mutusque est. Non est du-

bium, quin Helena regulum eximia arte educatura sit. Caeca oculatum, muta mutum. Puella puerum educandum suscepit, in quo singularem suam educandi artem experietur. Vix putaverim fore ut princeps voce auribusque captus¹⁴ a fratre sano superaretur, quia ab educatrice nova perducetur eo, quo ceteri homines rarissime pervenient. Caeci, oculis capti suas quisque regiones incolunt. Qui sunt introrsus¹⁵ spectantes, res¹⁶ ipsas¹⁶ examinantes,¹⁷ qui non specie¹⁸ veri, lusu umbrarum. Natura caecorum longe alia est, ac nostra et si quis luminibus ademptis scitus¹⁹ est, eos qui vident — ut fere fit — superat ingenio prudentiaque.

Parentes vehementer sperant et confidunt fore ut parvus princeps auditūs compos²⁰ fieret.²⁰ Sed etiam tum memor erit et gratus erga puellam caecam, surdam et mutam, quod ipsum in vitam introduxerit.

Andreas e comitibus **Bethlen** puerulus undecim annos natus, qui permixte²¹ et²¹ confuse²¹ itinerum descriptiones legerat, omnia praesens²² addiscere voluit. Praenimia legendi aviditate etiam, quae facere debebat, neglexit. Quamobrem a matre punitus fugam capessere decrevit: viae ferratae vecturam concendit, sed in itinere subiit²³ animum²³ religio²³ et puer ad parentes revertit, a quibus veniam petivit. Fugitivus parvus se posthac nil nisi, quae a parentibus acciperet, lecturum pollicitus est, quia librorum lectionem, quae temere, sine ullo delectu²⁴ fieret, nocentissimam esse sibi persuasit.



¹ müegyetem ² maradandó ³ műremek ⁴ képtár
⁵ toszkánai ⁶ ellop ⁷ bűnhődik ⁸ rendőrfő ⁹ fölfogad
¹⁰ siketnéma ¹¹ finom ¹² külvilág ¹³ belseje
¹⁴ megfosztott ¹⁵ befelé ¹⁶ lényeg ¹⁷ mérlegel ¹⁸ látsszat
¹⁹ okos ²⁰ megkap ²¹ össze-vissza ²² személyesen ²³ lelkismerete fölébred ²⁴ válogatás

In schola realium Barmensi Hilda, filia Mittelston-Scheidii a²⁵ consiliis²⁵ mercatorii²⁵ eximio modo probationem maturitatis fecit. Quod eo insignius est, quia puella misera caeca nata est. Quae in scholis tractari solent, privata didicit et nunc in universitate Gottingensi rebus²⁶ ad²⁶ redditus²⁶ publicos²⁶ pertinentibus²⁶ operam datura est. In eadem universitate in mathematicis summa cum laude versatur frater Hildae, qui itidem²⁷ caecus natus est.

Civitates foederatae Australiae novam sedem condiderunt, quae terrarum²⁸ partis²⁸ quintae locus²⁹ medius²⁹ futura est. De condenda urbe in actis diurnis Melbournensis bus haec leguntur:

Locus novae sedis in Australiae desertis situs est, ubi ut³⁰ plurimum³⁰ aliquot arbores misellae cernuntur. Iuxta urbem fluvius exiguis labitur, qui nisi vere atque auctumno aquā abundat. Tamen hunc locum novae urbi condendae elegerunt, qui undique facillime adiri potest. Viae ferratae iam antea aedificabantur, sed urbs ipsa tantum nuperrime aedificari coepit. Primum opus est columna octo metrorum, quae IV. Id. Mart. erigebatur. Qua occasione omnium ordinum homines convenerunt. Sollemnem³¹ pompam³¹ duxere³¹ duo milia equitum; aderat ornatu splendidissimo Deuman vir illustrissimus, Britannorum regis per Australiam procurator,³² King O'Makey civitatum Australiae foederatarum summus praefectus, singularum civitatum praefecti cum consiliorum³³ publicorum³³ delectis.³³

Cum lapis³⁴ primarius³⁴ columnae ponetur, cornua ac tubae symphoniacorum³⁵ militarium audiebantur, cantum autem auditores cuncti voce³⁶ concinente³⁶ retulerunt.³⁶

Cantu finito uxor Kingii venerabunda ante uxorem procuratoris regii constituit illique capsam³⁷ argenteam tradidit, quā apertā femina illustrissima scriptum prompsit. Deinde silentio altissimo haec verba legit: Caput Australiae ac sedes Canberra appelletur!

Symphoniaci carmen³⁸ patrium³⁸ Britannorum movere,³⁹ omnes homines clamores laetos tollere, viri tegumenta⁴⁰ capitum⁴⁰

agitare, feminae sudaria,⁴¹ deinde summo praefecto iubente procuratori uxori eius vocibus laetis acclamare.

Denique viri amplissimi litteras ab uxore Deumanii perfectas subscrisperunt easque in cavo⁴² lapidis primarii posuerunt. Quare sollemnia urbis conditae finita esse videbantur.

Paulo post aderant milleni operarii, qui solo⁴³ coaequando⁴³ ac locis aedificiorum designandis operam dabant; sub meridiem advenerunt primae vecturae lateribus⁴⁴ completae.

Auctumno perfecta atque absoluta erit urbs cum palatiis altissimis, ubi vecturae electricae commeatuae sunt, ubi IV. Id. Mart. tantum aliquot arbores misellae ramos exiles⁴⁵ demiserant.

Qui ob valetudinem caelum⁴⁶ mitius⁴⁶ expertentes in Austrā, nobis vicinā Castrum⁴⁷ Maiense⁴⁷ novissime invisebant, in rem, novitate admirabilem animos conversos intellexerunt. Sane hercle res mira est per⁴⁸ speciem⁴⁸ tarditatis, re⁴⁹ autem cito, summā cum securitate supra campos, vineas, silvas, saxa, moles denique nivium sublime ferri, mortalium domicilia, cum studiis eorum ac laboribus, aquilae modo infra se videre et contemplari posse.

Vectura⁵⁰ pensilis⁵⁰ antea quoque nota erat, sed tantum oneribus vehendis. Ex quo machinatoribus Mediolanensibus successit fune⁵¹ sufflaminanti⁵¹ adhibito vecturam etiam hominibus vehendis aptam reddere, multitudo viatorum descendunt plastralia⁵² pensilia, ut desuper naturae pulchritudine delectentur.

In pictura videmus intentos funes, crassitudine⁵³ brachiali,⁵³ in quibus vectura quattuor rotis movetur. Funes e nucleo⁵⁴ ferri⁵⁴ primae⁵⁵ notae⁵⁵ parantur. Plaustro quōque quindecim vectores continentur, e quibus sex in

25 kereskedelmi tanácsos 26 nemzetgazdaságтан 27 szintén 28 világész 29 középpont 30 legfeljebb 31 fölönül 32 helytartó 33 képviselő 34 alapkö 35 zenész 36 együtt énekel 37 doboz 38 himnusz 39 rázendít 40 főveg 41 zsebkendő 42 üreg 43 a talajt egyengeti 44 téglal 45 nyomorúságos 46 enyhe éghajlat 47 Meran 48 látszólag 49 valóban száll 50 függő vonat 51 fékezőkötél 52 kocsi 53 kar vastagságú 54 acél 55 elsőrendű

media parte clausā sedent, reliqui in parte antica⁵⁶ stantes mirantur amoenitatem regionis. Infra te habes castaneas,⁵⁷ arces, fontes, aediculas sacras, rura amoenissima.



Effigies monstrat hanc novam rationem vecturae pensilis aedificandae, quā agrorum culturae parcitur. Sub plaastro volanti colonus agrum colit, vineator vineam. In terra labor fit, in aëre commeatus.

Post septem sexagesimas⁵⁸ castaneis relictis in regionēm pinūs⁵⁹ et abietis⁵⁹ subvecti sumus. Partes vallium singulae e conspectu auferuntur, in altiora oculos conicimus, dum Iugum⁶⁰ Sancti⁶⁰ Vigilis⁶⁰ attingitur. Ubi caelo saluberrimo gavisi circumspicientes videmus fundamenta novae urbis futurae, ad quam aedificandam lateres⁶¹ deorsum supportantur, aqua autem potu optima ex monte excurrit. Vis electrica, qua et vectura, et machinae⁶² roboribus⁶² dissecandis,⁶² qua denique lux et vita in altiora vehuntur, rivo infra strepenti gignitur.

Academia Gallica quotannis praemiis afficit eos, qui aliquod nobile facinus fecerunt. Nuper quattuor hominibus praemia adiudi-

cata sunt, quorum quisque laude dignissimum quidquam obiit.

Raimundus Marmiesse, discipulus gymnasii quingentis francis donatus est, quia canem rabidum,⁶³ qui eum momorderat,⁶⁴ aufugere non patiebatur, sed caput bestiae summis viribus eo⁶⁵ usque⁶⁵ tenebat, dum homines accurrentes canem necarent. Puer interrogatus, qua de causa hoc fecisset, se timuisse respondit, ne alii quoque morderentur.

De publico⁶⁶ curru⁶⁶ automatopoeēto⁶⁶ in Sequanam⁶⁷ flumen merso omnes illo tempore legimus. Sacerdos nomine *Richard sexies* in aquam se praecipitaverat, ut homines periclitantes servaret. In actis⁶⁸ diurnis⁶⁸ res tractabatur, sed sacerdos animosus nil nisi haec verba dixit: Meo loco unusquisque idem fecisset. Duobus milibus fr. ornatus est.

Maximus Martin annum agens vicesimum quintum oculis⁶⁹ captus⁶⁹ est. Qua autem calamitate non fractus uxorem duxit, liberi ei nati sunt, uxore adiuvante agellum exercebat, cuius redditu⁷⁰ familiam honestissime sustentabat. Trecentarum francarum praemium accepit, quia voluntatis humanae animique fortissimi exemplum Academia Parisina praeocio afficiendum iudicavit.

Maria Lonjon premature parentibus orbata⁷¹ decem fratrum et sororum alendorum curam sibi impositam esse intellexit. Et puella illa simplex tantae moli⁷² par erat. A mane usque ad vesperum laborabat, ut suos sustentaret. Interea anni effluxere, ipsa consenuit, alumni⁷³ autem victimum honeste sibi quaerere didicerunt, homines probi facti sunt. Quingentae fr. erant praeium praeclari facti.

Adalbertus, secundus Britannorum regis filius ineunte autumno in Germaniam proficiscetur, ubi in universitate quadam, Bonnae, Gottingae vel Heidelbergae litteris operam datus erit. Princeps adulescens nunc

⁵⁶ elülső ⁵⁷ gesztenyefa ⁵⁸ perc ⁵⁹ vörös- és lucfenyű
⁶⁰ Szent Vigil Gerince ⁶¹ téglá ⁶² fürészmalom
⁶³ veszett ⁶⁴ harap ⁶⁵ addig ⁶⁶ automobil-omnibusz
⁶⁷ Szajna ⁶⁸ hirlap ⁶⁹ megvakul ⁷⁰ jövedelem ⁷¹ megfoszt ⁷² nagy feladat ⁷³ ápolt

annum agens duodevicesimum militiā⁷⁴ navali⁷⁴ fungitur⁷⁴ in India Occidentali, unde sub mensem Iunium domum revertetur.

Bacapulos classiarius⁷⁵ centurio⁷⁵ summo⁷⁶ rerum⁷⁶ nauticarum⁷⁶ per Graeciam praefecto⁷⁶ iubente regiones iuxta Lemnum insulam observitans in altitudine viginti metrorum reliquias aedificiorum repperit, quae urbis cuiusdam mersae⁷⁷ vestigia esse videntur. Summus rerum nauticarum praefectus in illis locis mare accuratius explorari iussit.

⁷⁴ tengerésztnél szolgál ⁷⁵ tengerésztsztt ⁷⁶ tengerészeti miniszter ⁷⁷ elsülyed



Puer quidam urbanus cum parentibus iuxta Peisonem¹ ad aquas² iter faciens in ripa lacūs duas vaccas conspexit, quarum altera alba, altera nigra fuit.

— Vide — inquit mater — vacca ista alba nobis lac³ suppeditabit.

— Illa autem nigra — respondit puerulus — caldam⁴ Arabicam⁴ nigram,⁴ nonne maternula? *G. Laky, O. S. B.*

In cauponam duo viri intrantes pisces sibi parari iusserunt. Caupo statim attulit pisces, magnitudine differentes, quos neuter amicorum attigit.

— Tolle,⁵ ede, dixit alter.

— Non faciam, quia minor sum, respondit amicus.

— Recte cogitas, amice. Igitur ego sumam. Et his dictis piscem maiorem in suo catino⁶ posuit.

— Tu decorum⁷ cum elegantia⁸ negligere videris, exclamavit sodalis iratus.

— Qua re?

— Quia piscem minorem tollere debuisti, non maiorem.

Sed ille cachinnans:⁹ Si tu prior sumpsisses, an minorem excepisses?

— Utique.

— Heus tu, amice, viden', nunc pares¹⁰ sunt¹⁰ mihi tecum rationes,¹⁰ quōque enim modo minor piscis tibi obvenisset.

G. Laky, O. S. B.

Diogenes Olympiis finitis interrogatus, quid ibi vidisset, respondit: Quod saepissime videri potest; nonnullos spectatorum paenituit¹¹ adfuisse, quia plus exspectaverunt; plures paenituit non cucurisse, pueros nondum, senes iam non currere potuisse; illos, qui praemia non acceperunt, quod currunt. Soli victores erant contenti sollemnibus finitis. *G. Totis.*

— Quid fles, mi fili?

— Mater ita me tractavit, ut canis tractari solet.

— Quid tibi fecit?

— Lavit me et pexit.¹² *G. Totis.*

Socrates cum Alcibiadē ob divitias inflatum¹³ et superbientem opibus praediisque¹⁴ vidisset, ad tabulam geographicam eum duxit iussitque Atticam in ea inquirere. Ut eam iuvenis invenit, etiam praedia inspicere iubebatur. Quae cum Alcibiades nusquam esse picta diceret, Cur igitur, Socrates inquit, ob illa superbis, quae in nulla terrae parte inveniuntur? *G. Beöthy.*

— Inspect-ne magister pensum tuum?

— Inspect, mi pater,

— Me tibi auxiliatum¹⁵ esse animadvertis?¹⁶

— Non.

— Quid dixit?

— Me in dies stupidorem fieri.

L. Horváth (Keszthely).

Hostium equites agrum praetervecti rusticum seminantem¹⁷ conspexerunt.

— Noli sementem¹⁷ facere,¹⁷ inquiunt, fructu laboris tui nos fruemur.

— Hoc minime doleo;¹⁸ cannabim¹⁹ sero.¹⁷ *L. Horváth (Keszthely).*

— Si ad duo poma addideris tria, quot poma habebis?

— Quinque poma habebo.

¹ Balaton ² fürdő ³ tej ⁴ feketekávé ⁵ vesz
⁶ tányér ⁷ tiszteesség ⁸ jó nevelés ⁹ kacag ¹⁰ ki van
 egyenlítve a dolog ¹¹ megbánta ¹² fésül ¹³ fel-
 fuvalkodva ¹⁴ jószág ¹⁵ segít ¹⁶ észrevesz ¹⁷ vet
¹⁸ bán ¹⁹ kender

— Si ad duodecim poma addideris novem,
quot poma habebis?

— Plurima. *St. Fehér* (Temesvár).

— **Quid** vexas sororculam, Paule?

— Adamum et Evam ludimus.

— Quid vero?

— Ea comedit mālum, mihi autem ne
frustulum²⁰ quidem dedit. *I. Bauer.*

20 falat.



I.

-via, -ittera, -fficit, -erxes, -nnus, -ummus,
-at, -rgo, -ex; -ater, -go, -ot, -dipus, -acilis,
-dem.

Horum vocabulorum litteris desideratis
expletorum et in ordinem digestorum primae
litterae nomen poetae, nobis carissimi effi-
ciunt. *D. Kováč* (Nyiregyháza).

II.

I. Buzila (Naszód).

		o	t				
N	o	e	l	t	x		
t	m	l	e	n	e		
e	m	m.	r	f	i	s	a

III.

Quis numerus tantudem minor est nona-
ginta uno, quanto quadrum eius maior
est 91. *Háktár* (Eporedia).

IV.

Alexander Magnus, si novem annis
prius mortuus esset, octavam partem vitae
regnando consumpsisset; si autem novem
annis diutius vixisset, dimidiam vitae par-
tem regnando egisset. Quotum annum agens
depositum vitam et quot annos regnavit?

G. Horay.

V.

Sum plus, quam semita¹ et idem ac via,
Insere litterulam, praepositio fio.

A. Le Strat (Angers).

VI.

G. Korn (Leopolis).

a								
a	b							
c	c	e						
e	e	e	e					
e	g	i	l	m				
n	n	r	r	r	s			
s	s	s	s	t	t	t		
t	u	u	u	u	u	u	u	

1. Consonans
2. coniunctio
3. vocabulum
indeclinabile
4. dens pretiosus
5. nomen sex
habet
6. corporis pars
7. pronomen in-
definitum
8. extrema pars
aetatis humanae.

VII.

a bi bis cos do e e fe fu la lix lus me
mi mul nec nu nu po ra ra rint ris ris si
so tem tos.

*Ex his syllabis distichon componatur, quod
notissimam Ovidi poetae sententiam exhibet.*

G. Lhm. (Vrtl.)

VIII.

In mensa lanx² posita est continens
quinque ova, quae distribuantur quinque
pueris. Quomodo facis, ut, quamquam sin-
guli singula accipiunt ova, tamen unum
ovum in lance remaneat? *G. Lhm.* (Vrtl.)

IX.

ci ci di is me na ob pa pi prin ra ro se
sta tur.

Ex his syllabis verba formentur, quae,
si recte reperta et disposita erunt, senten-
tiam Ovidi poetae exhibebunt.

G. Lhm. (Vrtl.)

X.

- | | |
|-------------------------|------------------|
| 1. 2. 3. | numerale. |
| 4. 7. 8. | bestiola. |
| 5. 1. 2. 3. | fatigat hominem, |
| 5. 6. 1. 2. 3. | praepositio. |
| 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. | deus Romanus. |

S. Horváth O. Cist (Agria.)

¹ ösvény ² tál.

XI.

Tus—lis—ges—i—us—la—xes—a—li—tro—
ca—ti—o—pe—stus—stris—gy—rus—teu—u—
ci—pi—a—tus—nus—des—ia—grip—cal—o—
us—tyr—mo—ter—se—don—ni—quin—a—
tus—rio—eu—si—tra—ra—si—vi—sto—ni—
tal—pac—so—ni—na—nau—pe—a.

Hae syllabae ita ordinentur, ut duodecim
viginti vocabula efficiantur:

1. Mensis Romanus.
2. Thebanorum rex.
3. Veterinus Troiae rex.
4. Dianae comes.
5. Germanorum rex.
6. Arbiter elegantiarum.
7. Primus per aërem volavit.
8. Rerum scriptor Romanus.
9. Mater Neronis.
10. Imperator Romanus.
11. Flumen in Creta insula.
12. Graecus poëta.
13. Memoriae artis inventor.
14. Tibiae inventrix.
15. Portus insignis.
16. Antiquus Aegypti rex.
17. Musae nomen.
18. Veterinum Phoeniciae oppidum.

Primitus litteris vocabulorum proverbium
notum redditur.

S. Jakubowszki.

XII.

Spiritum non habeo,
Tamen me moveo
Et mundum dirigo.
Quis sum?

A. Todor (Blasium).

XIII.

Quid est? In terra lignum, in ligno aqua,
in aqua lapis, in lapide ferrum, in ferro
caro.

Guilelmus Laky, O. S. B.

XIV.

Est arbor duodecim ramos porrigens,
ramorum quisque quaternos nidos continet,
nidorum quisque septenas aves habet. — ?

E. Blau.

XV.




Kudliška. Löise.

Solutiones aenigmatum numeri 16.

- I. Sors, fors, mors. — II. Sica, acis. — III. Corsica, Messana, Ariadne. — IV. Vitam et sanguinem.

Aenigmata recte dissolverunt: L. Belányi Posonium, I. Bereczk Kaposvár, E. Blau Losonc, I. Bornemisza Alba-Carolina, B. Buzás Keszhely, P. Colard Parisii, A. Cseh Alba-Carolina, St. Dénes Keszhely, Discipuli I. a) cl. gymn. X. reg. (Colonia Magistratum), R. Fink Vindobona, I. Glück Leopolis, A. Herman Leopolis, G. Horay Temesvár, S. Horváth O. Cist. Agria, F. Knapp O. S. Fr. Malaczka, M. Kordzik Leopolis, J. Kröner Argentoratum, A. Krywald Leopolis, R. Kubiček Prachatitz, B. László Losonc, I. Miroslawski Cracovia, B. Nagy Budapest, P. C. Peltenburg Soeterwoude ad Lugd. Batav., I. Rivét Andecavi (Gallia), A. Schmidtmayer Colocza, St. Strausz Budapest, I. Szügyi Kisujeszallás, G. Tarcsay Zagravia, T. Vuia Temesvár, L. Barszek Leopolis, S. Iakubowski Leopolis, A. Korchmáros Budapest, F. Mantz Magyaróvár, A. Montignac Orléans, R. Rouërs St. Jean de la Ruelle, A. Thereau Orléans.

Praemia Ioanni Miroslawski Cracoviensi et Belae Nagy Budapestinensi sorte obvenerunt.



Bremiportus. Ex ultimis commentariis tuis conicere videor litteras, quas per tabellarios misi, tibi non redditas esse. An fallor? — **Custos Lombardicus.** Non sine summa cura illam partem operis De Amicisiani convertisti, mi fili. Quod non negaverim. Sed noli animum demittere, cum te nondum omnino respondisse certiorem facio. Humeri tui corroborari debent, dum molem huius modi perferre possint. — **De vita vivarii.** Cur tu quoque descriptionem ad convertendum difficultiam elegisti? Cur tu lectoribus insciis in animos inducere vis vivarium nostrum tam misero statu esse? — I. Glück. Aenigmata tua, quamquam recta, tamen mathematicos spectare videntur, non litterarum Latinarum studiosos. — St. Strausz. Gaudeo quod te tantos progressus fecisse video. Hac arte perge, mi fili! Parentes tuos honoratissimos meis verbis saluta. — De reliquis proxime.

Moderator ephemericis STEPHANUS SZÉKELY DR. Budapestini, Üllői-út 71., ad quem litterae quaeunque mittantur.

Sumptibus moderatorum ephemericis: Magyar Középiskola.